



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. De vnitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

CONCLUSIO II.

Non distinguuntur ab illo realiter aut modaliter, sicut relatio dicitur distinguere à suo fundamento, sed bene formaliter ex natura rei. Hæc quoad primas duas partes est communissima, & quoad tertiam est Doctor in 2. dist. 16. suorumque omnium contra recentiores communiter & Thom.

Probaturs prima & secunda pars, tum quia alias multiplicarentur entia & modi sine necessitate; tum quia si esset aliquid realiter distinctum, vel modaliter, vel esset absolutum quid, quid vel respectuum: sed neutrum dici potest. Non quidem respectuum, quia non potest assignari terminus eius realis, ad cuius positionem necessarium sequeretur, & sine cuius positione non necessario sequeretur; tum quia conceptus vnus non est conceptus relatiui, vt postea magis patebit. Non etiam absolutum, quia posset ens conservari sine quocunque absoluto posteriori, realiter distincto, & sic posset dari aliquod ens à parte rei, quod non esset Vnum: & quia illud absolutum realiter distinctum deberet esse ens, & consequenter Vnum alia vnitate, & sic daretur processus in infinitum.

3. Probaturs tertia pars primo ex principiis, quibus probatur distinctio formalis. Secundo, quia alia proprietates distinguuntur ex natura rei ante operationem intellectus à suo subiecto; ergo & hæ proprietates sic distinguuntur ab ente. Tertio, quia non possent habere rationes proprietatum, nisi sic distingueretur potius quam ens esset proprietates earum. Quarto, quia si sic non distinguerentur, maxime quia includerent intrinsece ipsam rationem formalem entis, & essent entia: passio autem ex natura rei distincta ab aliquo, non debet includere illud, cuius est passio, nec esse ipsum: sed hæc ratio non impedit.

Probaturs minor, quia falsum est, quod hæ proprietates includant formaliter, aut sint ens, vt patet ex iisdem principiis, ex quibus supra probatum est, quod differentia non sint formaliter entia.

Confirmatur: si propter hanc rationem proprietates entis non distingueretur ab ipso, sequeretur quod nulla differentia inferior ente, nec quidè rationalitas, ab ipso distingueretur, quia omnis inferior differentia æque debet esse formaliter ens, ac hæ proprietates debent esse.

Hinc patet: non valere fundamentum pro opposita sententia adductum ab Arriaga: Si ens diceret passionem aliquam à se distinctam, quatenus ens, ipsamet passio ab ipso distincta deberet dicere aliam passionem, quia est ens, & sic daretur processus in infinitum. Supponit enim quod passio entis sit ens formaliter, quod vel ex hoc ipso principio Scotistæ cū Doctore probare solent esse falsum.

CONCLUSIO III.

4. Si sit aliquis ordo in emanationibus harum proprietatum, ita vt vna prius, altera postea, & tertia deinde emanet, Vnitas debet esse prima, Veritas secunda, & Bonitas tertia. Hæc est communis, & patet, tum quia ita communiter sentiunt Doctores; tum quia nullus alius ordo melior assignari potest: tum denique quia Veritas dicit aliquam habitudinem ad intellectum, & Bonitas ad voluntatem; ergo sicut intellectus est prior voluntate, ita veritas erit prior bonitate; Vnitas verò, quæ ad neutram potentiam ordinem dicit, neque ad aliquam posteriorem, debet esse prior quàm proprietates ad illas ordinem dicentes.

Dixi autem si sit aliquis ordo, quia non apparet conuincens ratio; ob quam colligeretur, quod habeant ordinem in emanatione, & alias nõ videtur difficile quod æque primò emanarent; potissima verò ratio asserendi ordinem est illa vltima, quam pro conclusione proposui, quæ satis est probabilis.

QVÆSTIO II.

De Vnitate.

5. Difficultas huius questionis est duplex. Prima quid est esse Vnū, prout esse vnū cõpetit enti vt sic, & ratione eius omni enti in particulari. Secunda, à quo formaliter habeat ens esse vnum, an ab aliquo positione, an vero à negatiuo. Quantum ad primam partem, quamuis concipiamus Vnum, & Multa ipsi opposita satis fa-

cile, cognoscamusque quam sint vna, & quam multa, tamen non adeò facile est explicare, quid sit Vnū vt sic, prout conuertitur cum ente, & dicit vnitatem, quæ est proprietas entis, aut quid multa ipsi opposita.

Faber in sua Metaphysica l. 4. d. 7. c. 3. dicit vnitatem quæ est proprietas entis, nihil aliud esse, nec significare, nisi certam ac determinatam naturam entis cuiuscumque sita quod, inquit, Vnum supra ens nihil aliud addat, nisi determinationem certam naturæ talis entitatis: & hoc ipsum videtur sibi declarare dicendo, quod cum dicimus ens vnum idem sit hoc, ac dicere ens determinatam & certam naturam.

Hæc declaratio, quam ipse fatetur non inuenisse se in aliquo autore, licet dicat, & Scotum eam inuenisse, & olfecisse Suarezum, nullam habet apparentiam, non solū quia est contra communem acceptionem Vnius, quā non debuit hic author mutare, nec aliquid prorsus adferre utilitatis, quod mutaretur; sed etiam quia omne ens habet determinatam naturam ex suis principiis essentialibus, nam homo sine dubio habet esse determinatam naturam etiam formalissime, ex eo, quod sit animal rationale, & idem est de quocunque alia re: ergo vnitas, quæ est proprietas entis, non vero aliquid ipsi essentialia, nõ potest esse idem formaliter ac esse determinatam naturam.

6. Confirmatur: per id per se primo res est determinata naturæ, per quod habet per se primo distinguere à quocunque, quod non est talis naturæ, sed diuersa: sed hoc comperit cuilibet enti per prædicata sua essentialia: ergo habet quodlibet ens esse determinatam naturam, à suis prædicatis essentialibus, & non ab vlla proprietate consequente.

Confirmatur secundo, quia non potest explicari, quid sit ens aliquod, v. g. hominem esse determinatam naturam, nisi dicendo, quod sit naturæ talis, v. g. cui conuenit posse sentire & discurre: hoc autem vel est prædicatum essentialia ipsius, vel proprietas illa, quam vocant aptitudinem ad discurrendum, quæ sine dubio non est vnitas ipsius: ergo non habet res à proprietate, quæ est passio entis, esse determinatam naturam. Non nego quidem Vnum aliquando significare tam in lingua Latina, quam etiam Italica, huiusmodi determinatam rei naturam, vt cum dicitur Latine vna certa res, & Italicè, vna talcosa; tamen tunc non significat proprietatem entis, à qua dicitur res esse vna, & non multiplex.

7. Communiter Vnū dicitur esse id, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Sed hæc ipsa explicatio indiget sine dubio alia explicatione, nec sua caret difficultate. Nam in primis quando dicitur, quod vnum vt sic debeat esse indiuisum in se, vel hoc intelligitur sic, vt non debeat habere plura in se inclusa siue realiter, siue formaliter distincta, & separata, & sic falsa esset descriptio, nam vnus homo includit partes realiter distinctas, vt materiam, & formam, manus, & pedes, & partes formaliter distinctas, vt animalitatem & rationalitatem. Vel intelligitur quod non debeat includere plura realiter separata & non vnita, aut identificata, & sic nõ posset intelligi Vnum, quin intelligeretur multa, aut plura, quia non posset intelligi, nisi per non inclusionem multorum: hoc autem inconueniens videtur, quia ipsa Multa non possunt intelligi, quin intelligeretur Vnum, nam multa aut plura coalescunt ex pluribus rebus vnīs, & hinc vnitas dicitur principium numeri, ac multitudinis. Deinde, quando additur, quod Vnum debet esse diuisum à quolibet alio, si intelligatur hoc, quod debeat esse separatū realiter à quolibet alio, seu non vnitum aut identificatū vlli alteri, videtur falsū esse, quia hæc numero aqua erit vna aqua vnitate entis vt sic, quāuis vniretur alteri aquæ: alias si non esset vna sic, vnitas entis vt sic esset realiter separabilis ab ipso, quod est absurdum.

Deinde, per hoc ipsum, quod intelligeret aliquid per modum non includentis plura separata, quamuis non intelligeretur, vt separatū aut diuisum ab aliis intelligeretur vt Vnum, quatenus Vnum opponitur Multis.

CONCLUSIO I.

8. Vnum, prout conuertitur cum ente vt sic, & dicit vnitatem

Vnitas non est à qua habet res esse determinatam naturam. Res habet esse determinatam naturam à suis prædicatis essentialibus.

Explicatio communior Vnius. Difficultas huius explicationis.

Vnitas potius debet esse prior passio, & veritas secunda.

ratem, quæ est proprietas entis ut sic, est illud, quod est indivisum in se, id est quod non includit plura, seu separata à se invicem & divisum à quolibet alio. Hæc videtur in re debere esse communis. Probatur, quia quicquid habet hanc rationem est Vnum, & nihil est vnum, quod non habet hanc rationem; nec potest melius explicari Vnum prout convertitur cum ente quam hoc modo.

Confirmatur, quia Vnum formaliter opponitur Multis: sed quod habet hanc rationem opponitur directe Multis, nam Multa includunt plura realiter separata à se invicem.

Dices ut supra, Vnum hoc modo explicari nequit nisi per ordinem ad multa, nec Multa possunt explicari, nisi per ordinem ad vna, ex quibus constat: ergo non bene explicatur hoc modo, quia nihil bene explicari potest per ordinem ad aliquid, quod explicari non potest, nisi per ordinem ad ipsum, quod sic per ipsum explicaretur, in huiusmodi enim explicatione committeretur circulus, & ignotum per æque ignotum explicaretur.

Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte: per ordinem ad multa formaliter, nego; fundamentaliter concedo, & eodem modo distinguo secundam partem, & nego consequentiam. Itaque Vnum explicatur per negationem inclusionis plurium, non formaliter loquendo, sed materialiter, & Plura explicantur per inclusionem unitatum separatarum fundamentaliter. Quod si etiam explicari debeant per ordinem ad se invicem formaliter, id intelligendum est sic, ut non debeat prius vnum & postea alterum intelligi; id enim implicaret, quando explicarentur mutuo per ordinem ad seipsa formaliter considerata, sed quod neutrum sine altero cognosci posset; sed utrumque simul cognosci deberet æque primo, & consequenter non posset proponi, aut explicari alterum sine altero.

Quod si quæras cur addatur illud, & divisum à quolibet alio. Respondeo, hanc particulam non esse positam ad significandam unitatem entis ut sic, sed ad significandam unitatem particularem, quam habent illæ res solæ, quæ & non habent partes separatas, & non sunt partes alterius rei, ut verbi gratia aqua, quæ quædo separatur ab aliis aquis, dicitur vna aqua, sed quando coniungitur cū alia aqua, non dicitur vna aqua, sed pars vnius aquæ, non quod non habeat unitatem entis ut sic, quæ inseparabilis est ab ipsa, sed quod non habeat unitatem hanc particularem, quæ quoad aliquam conditionem ad ipsam requisitam, nempe quoad negationem coniunctionis cum alia aqua, est ipsi accidentalis: quod valde advertendum est.

CONCLUSIO II.

10. Illud, à quo per se primo formaliter habet ens esse Vnum, est formalitas positiua realiter ipsi identificata, ad quam sequitur negatio inclusionis plurium separatorum. Hæc est Scoti in 2. disp. quæst. 2. cum suis communiter contra recentiores, quos citat, & sequitur Suarez hic disputat. 4. & Fonseca 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 5.

Probatur autem, quia omnis negatio, quam dicit unitas entis, est inseparabilis ab ente: ergo debet præsupponere in ente aliquid positivum, ratione cuius formaliter sequitur: sed illud positivum, formaliter loquendo, non est ipsum ens, formaliter loquendo: ergo aliud formaliter distinctum: sed illud aliud potius debet dici unitas, quam negatio sequens ad ipsum, licet non possit explicari nisi per ordinem ad illam negationem, ut omnes fateantur. Probatur minor, in qua est tota difficultas, quia ens ut ens, formaliter loquendo non dicit ordinem nisi ad existentiam possibilem, seu ad non repugnantiam: ergo non est formaliter loquendo illud positivum, ratione cuius illa negatio debeat competere enti.

Confirmatur, quia prius est aliquid esse in se non repugnans, quæ esse Vni, aliàs unitas non esset proprietas entis: ergo prius cōpetit ipsi formalitas positiua, ratione cuius cōpetit ipsi non repugnare, quæ formalitas positiua, ratione cuius cōpetit ipsi negatio diuisionis suarū partium: sed formalitas prius cōpetens alicui debet esse distincta formaliter ab illa, quæ posterius ipsi competit: ergo ens formaliter loquendo nequit esse formalitas illa ratione cuius competit illa negatio diuisionis, rei, quæ est vna,

11. Obiicit: Illa negatio, quam dicit Vnum, quæ tale, potest sequi ad ipsum ens formaliter absque aliqua alia formalitate positiua superaddita: ergo frustra ponetur aliqua alia formalitas positiua.

Respondeo distinguendo antecedens: absque superaddito aliquo positivo realiter distincto, concedo antecedens; formaliter distincto, nego antecedens.

Dices: si poneretur per impossibile ens formaliter loquendo, absque alia illa formalitate, deberet necessario habere aut partes diuisas, aut non habere partes diuisas; sed non haberet illas diuisas: ergo non diuisas, & consequenter haberet negationem, quam dicit Vnum: ergo frustra superadditur formalitas distincta etiā formaliter.

Respondeo negando antecedens: sed potius sequeretur tum quod haberet partes diuisas, & quod non haberet illas diuisas, haberet enim illas diuisas ex suppositione; quod non haberet illas sine diuisione: & non haberet illas diuisas, quia non haberet principium formale, ratione cuius cōpeteret ipsi non habere illas diuisas: & hinc implicat, quod ponatur ens sine illa formalitate positiua, ad quæ sequitur necessario illa negatio, quæ propterea ipsi identificatur realiter. Alij dicunt quod in tali casu impossibili ens non esset nec vni, nec multa, quia non haberet principium formale aut diuisionis aut indiuisiōis, nec alterum ex cōtradiatoriis debet de qualibet re prædicari posse in casu omni impossibili qualis est casus propositus in replica; quæ etiam responsio non videtur mala.

ADDITIONO.

Meam Vnius in hac quæstione nu. 8. explicationem negat Mastrius disp. 5. Met. n. 10. esse legitimam, quia sola distinctio realis absque diuisione potest inducere multitudinem transcendentalem, quæ excludit unitas, quod esset falsum secundum meam explicationem; tum quia vnum per accidens vere participaret rationem vnius, quod est passio entis perinde ac si foret ens per se; nam eius partes non sunt separatae realiter & distinctæ. Respondet etiā ad rationes meas ad primam negando assumptum, quoad primam partem, quia corpus & anima coniuncta non dicuntur vni, sed unita & partes in continuo sunt plures, & multæ transcendentally licet sint unitæ, & continuæ, ratione cuius continuitatis dicuntur vnum, non quidem unitate entitativa & transcendentally, sed integrali & quantitativa. Ad secundam negando minorem, quia aliqua possunt esse plura, & multa, etiam si non sint realiter separata, per solam distinctionem, ut constat de anima, & corpore in homine & partibus continui. Sed imprimis, cum ipsemet Mastrius inferius n. 112. amplectatur doctrinam Alensis ac suam sententiā propriam eius autoritate confirmet; mirum videri possit cur meam reiiciat, quæ est illa, quam in terminis ab ipso met propositis tradit Alensis: Et sane, quæ ratione explicat Mastrius Alensem de negatione diuisionis in partes, vel essentielles vel subiectiuas, posset etiam me sic explicare; neque n. Alensis videtur nomine partis magis quam ego; neque mea verba aliquid continent aduersum illi explicationi magis, quam Alensis. Sed explicatio prorsus est inconueniens: nam si iuxta illam intelligeretur Alensis, doctrina eius esset falsa, male autem explicatur vllus Author sic, ut reddatur doctrina eius falsa, si aliàs commode possit explicari aliter; quod autem esset falsa si explicaretur de partibus essentialibus, vel subiectiuis patet, quia sequeretur, quod plures aquæ non continuæ essent vnum unitate transcendentally, quia haberent negationem diuisionis in partes essentielles, ex quo patet non solum Mastriū male explicasse Alensem, sed vnum, dum dicit vni esse, quod habet negationem diuisionis in partes siue essentielles, siue subiectiuas.

Quam explicationem ulterius impugno manifeste ex ipsiusmet principijs; nam sequeretur, quod totum per accidens, ut verbi gratia, homo albus, esset vnum unitate transcendentally, quod ipse negat, tam vbi me impugnat, quam vbi defendit suam sententiam.

Probatur sequela, quia secundum ipsummet ibidē, ut tale totum non est vere totum; ita non habet partes essentielles in quas diuidi posset, & ex quibus constitueretur: ergo habet

habet negationem diuisionis in partes essentielles: Et si quis dixerit pro Maestro negationem diuisionis in partes essentielles, quas dicit vnum esse negationem diuisionis in partes in quas posset diuidi, licet non diuidatur in illas, Contra, quia sic nullus ens simplex Physice esset vnus contra ipsum Mastrum & omnes. Addo obiter contra explicationem ipsius, quia dicit, quod vnitas dicat negationem diuisionis in partes, siue essentielles, siue subiectiuas, addo inquam contra hoc pessime in ea addi, siue subiectiuas.

Prima, quia sufficeret ponere partes essentielles ex suppositione, quod illud esset vnum, quod non esset diuisionum in partes essentielles (quæ suppositionem admittit Mastrus) nam & totum potentiale haberet etiam non esse diuisionum in partes essentielles, neque enim animal, vt sic, est diuisionum in partes essentielles.

Secundo, quia sequeretur, quod nullum totum potentiale esset vnum, quia omne tale est diuisionum in partes subiectiuas: ergo non haberet negationem diuisionis in partes subiectiuas; quæ impugnatio est euident, si tam bene intelligo Mastrum, de quo sane dubito; nam non possum excogitare sensum aliquem bonum ob quem rationabiliter induci poterat ad addendam illam particulam; vnde operæ precium esset vt se amplius declararet.

Sed vt, quod ad me spectat, directe faciam, Respondeo licet sola distinctio realis inducat multitudinem realem eorum, quæ sic distinguuntur, & propterea verum sit dicere, quod in continuo non sit vna tantum pars, sed plures, & in homine non sit vna tantum pars Physica, sed due, de quo nec ego vnquam dubitavi, nec aliquid est in mea descriptione vnitatis, ex quo oppositum sequatur; tamen distinctio realis partium inclusarum in aliqua re non inducit multitudinem realem rei in qua includuntur, neque enim verum est dicere, quod homo in quo includuntur plures partes tam essentielles, quam integrales sit plures res, sed potius verum est dicere, quod sit vna res, & tamen si partes ipsius non essent vnitæ, non esset verum dicere, quod totum constatum ex illis esset vna res simpliciter.

Vnde in forma Respondeo ad primam impugnationem Mastrij, distinctio realis inducit multitudinem earum rerum, quæ distinguuntur realiter concedo; illius rei quæ includit res distinctas realiter nego: sed secundum meam explicationem esset falsum, quod distinctio realis induceret multitudinem rerum distinctarum realiter, nego: rei in qua includuntur concedo & nego consequentiam.

Ad secundam impugnationem nego antecedens, quia quamuis haberet negationem diuisionis suarum partium tam bene, quam quod est vnum per se, non tamen negationem diuisionis talium partium, nam vnum per se habet negationem diuisionis partium, quarum vna sit in per se potentia ad aliam partem; vnum vero per accidens habet negationem diuisionis talium partium, quare euident est, quod vnum per accidens non esset vnum per se sicut illud, quod est vnum per se.

Ad cuius maiorem explicationem aduerto, quod vel vnum vt sic, possit abstrahi ab vno per se, & vno per accidens; vel non potest; de quodcumque voluerit Mastrus, neque de huius veritate hic contendam, quia non facit ad meum propositum.

Si possit abstrahi, verum erit, quod vnum per accidens habeat rationem vnus, vt sic, per hoc, quod habet negationem diuisionis suarum partium, tam bene quam vnum per se, licet non habeat rationem vnus per se, sicut illud, quod est vnum per se.

Si non possit abstrahi, sed illud quod est vnum vt sic, vnitæ transcendentali erit vnum, vel quia est omnino simplex, vel quia est compositum ex partibus vnitis, quarum vna sit in per se potentia ad alteram, & tunc euident est, quod vnum per accidens non erit vnum vnitæ transcendentali vt sic, quia non est sic compositum: & quando ego dixi, quod vnum vt sic est, quod non habet partes diuisas, hoc debet intelligi; vel ex eo quod non habet partes vno modo; vel si habet partes, quod habeat partes non diuisas, quarum vna sit in per se potentia ad alteram; neque opus erat vt hoc explicarem;

quia in hac suppositione omnes deberent convenire, & facile possent id intelligere quibus aliquid esset ingenij aut doctrinæ.

In rei autem veritate existimo vnum vt sic, quod est passio entis posse abstrahi ab vno per se, & vno per accidens, (si tamen ens ipsum posse abstrahi ab ente per se, & ente per accidens, de quo nolo disputare iam) quia potest dici esse illud, quod non habet principia constitutiva ipsius diuisa, & postea illud vnum potest, & solet diuidi in vnum simplex, quod est illud quod non habet partes realiter distinctas vno modo, & in vnum compositum, quod habet partes, sed non diuisas; & tunc potest vterius diuidi vnum compositum in illud, quod habet partes non diuisas, quarum vna est in per se potentia ad alteram; & in vnum compositum, quod habet partes non diuisas, quarum vna non est in per se potentia ad alteram; ex his autem vnis, vt ita loquor, primum potest dici esse vnum compositum per se; & alterum vnum compositum per accidens, & sic etiam solent communiter vocari.

Addo vterius ad secundam hanc impugnationem Mastrij posse me respondere, sicut ipsamet respondet, quando obicit illam contra suam sententiam; nempe quod vnum par accidens, non habeat vere partes, quæ sane responsio, quamuis in se non valeat, vt supra ostendi, tamen tam mihi potest sufficere quam illi.

Nunc videamus an bene soluerit rationes meas.

Prima ratio mea erat, quod quidquid non includit plura seu separata a se inuicem, sit vnum.

Respondet hoc negando; quia corpus & anima coniuncta non dicuntur vnum sed vnita, & partes in continuo sunt multe licet sint vnite. Sed hæc exempla non sufficiunt ad ostendendum non esse veram propositionem meam; nec vllum aliud habet Mastrus ad eam impugnamam sufficiens; neque n. anima, & corpus coniuncta est aliquid includens multa vnita, sed potius sunt ipsamet multa vnita; vnde quamuis non sit vnum, non sequitur aliquid contra me.

Eodem modo dico de partibus continui vnitis, quod vt sic, formaliter consideratæ, non includant plura vnitas, sed sint plura vnita; vnde quamuis non sint vnum vnitæ transcendentali, nihil mihi præiudicat. Ad quod addo falsum esse, quod partes continui vnite non sint vnum vnitæ transcendentali, quia quamuis sint plures, & multe ob suam distinctionem, tamen sunt vnus quid & quidem vnitæ transcendentali ob suam vnionem; hæc est inconueniens, quod aliquid sit vnum, & plures secundum diuersas considerationes; vnum quidem quatenus non habet partes separatas, plures vero, quatenus est aliquid constatum ex partibus distinctis realiter, & non distinctum realiter ab ipsis: ex quo etiam patet, quod anima & corpus vnita possunt dici vnum, & non tantum vnita præsertim in sententia non distinguente totum per se à partibus, simul sumptis & vnitis; & sane inconsulte mihi videtur Mastrus, cum opponeret sibi: quod distinctio realis partium hominis, v.g. tolleretur vnitatem, declinare difficultatem recurrendo ad distinctionem tertie entitatis hominis, quasi non posset saluari vnitas hominis, nisi in sententia admittente tertiam entitatem. Ad secundam meam rationem negat minorem, quia aliqua possunt dici multe, quæ sunt vnita & non separata, vt patet de anima, & corpore in homine, & de partibus continui. Sed ex dictis patet hanc responsionem non valere; quamuis enim aliqua possunt dici multe quæ sunt vnita; tamen nihil potest dici multa, cuius partes sunt vnite; nec enim continuū aut homo dicitur multa.

QVÆSTIO III.

De Veritate entis.

11. Quamuis nemo sit, qui non possit discernere inter hominem verum & hominem non verum, v.g. pictum, & inter aurum vnum & aurichalcum, quod non est verum aurum, sed falsum, licet sit verum aurichalcum; & quamuis non possit quis discernere inter illa, nisi haberet conceptum hominis veri, & non veri, & auri veri, ac non veri; tamē non est adeo facile explicare conceptum

liii 3 ceptum